



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 270. Quid circa Advocatum sit præterea notandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**



18. Verùm hanc limitationem cum *S. Thom.* alii<sup>ce</sup> non admittunt, nisi fortè reus capite plectendus esset, & accusator injustè procederet, tunc enim adjungunt, Advocatus accusatoris deberet falsitatem<sup>ce</sup> prodere; si tamen spes esset profuturum, accusatore priùs monito, ut desistat, *vid. Lugo l. c.* <sup>ce</sup>

XI. Advocatus, si causarum expeditiones, cum<sup>ce</sup> præjudicio clientum, differat, postponat, vel plures acceptet, quàm expedire possit, peccat, ac tenetur ad restitutionem; uti & omnium damnorum, quæ per ejus imperitiam, malitiam, vel negligentiam, cliens aut actor incurrit, non tamen tenetur in omnibus causis adhibere eandem<sup>ce</sup> diligentiam, sed majorem vel minorem, pro causæ qualitate. *vid. Fill. Bon. t. 2. in præc. 8. d. 10. q. 3. Less. l. 2. c. 39. d. 9. Lay. l. 1. t. 1. c. 5.* <sup>ce</sup>

## A D D E N D A.

**Q** 270. *Quid circa Advocatum sit præterea* 1507.  
notandum. R. Seqq.

§. I. Posse Advocatum patrocinari causæ minùs probabili, præter citatos à *Busenb.*, tenent *Nay. Az. Sanch. Less. Præpos. Laym. Castrop. Mendo d. 17 à n. 219 Illf. t. 1. d. 1. n. 85. Laurent. T. 2. tr. 1. d. 4. à n. 373.* E contrà non posse dicunt *Silv. Val. Arr. T. 3. d. 24. f. 5. n. 27. Elix. l. 7. q. 6. §. 3. Burgh. c. 3. c. 65.*, faltem si certus sit oppositum esse probabilius & credat se evicturum, quia directè intenderet, ut Judex decideret hoc, quod est minùs probabile, item ut suus Principalis causam obtineret cum minore jure, quæ sunt illicita. Prior sententia est communior, & videtur esse tuta, quia tantùm proponit argumenta partis, & cætera relinquit Judici, qui fortè prudentiùs ex aliis etiam motivis censebit hanc partem esse probabiliorem.

§. II.



§. II. De Advocatis dicit *Eliz.* l. 6. q. 21., quorum certè, si quod aliud in *Rep.*, periculis laqueisque plenum munus arbitror. . . . plerique ipsorum utriusque partium adesse parati, aliud vix agunt, quam iura confundere, & quod nemo habeat, quod suum est, aut serè habeat, & habeat quasi emptum ac post tribulationes plurimas. *Canus* l. 10. de locis c. 9. ait, cum lites inundatione sua orbis Christiani fines pervaserint, miscuerint, confuderint, necesse est eos honore summo affici, qui iurgiorum componendorum dicuntur esse periti; componant necne, ipsi viderint; hoc nos certè videmus. minus ibi esse litium, ubi minus est huius generis litteratorum. *Daniel Eremita* de vita aul. & civil. l. 1. c. 13. ait, nec ferenda fori illa tabes & advocatorum pestis, quæ fortunas civium arrodit, & hoc agit, ut mali plus à medicina, quàm à morbo sit. *Plinius* l. 2. *Epist.* 3. fateretur, nos qui in foro litibus conterimus aetatem, multum malitia, quamvis nolimus, addiscimus. Videri potest etiam *S. Aug.* *Epist.* 54., ubi sub finem Advocatos alloquens ait, redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisisti, iudicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. Hæc de malis Advocatis dicta sint.

1508

## DUBIUM IV.

*Qua si obligatio Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris.*

“**R**esp. Tenentur ii omnes justè fideliterque exercere suum officium, sive ex debito muneris tantum, sive etiam ex juramento: Item tenentur scire ea, quæ ad suum officium spectant, debitamque diligentiam adhibere, præstando omnia necesse